
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M A.

Miſcellaneorum

DECADIS II.

EXERCITATIO VI.

De

VOLUPTATIS NATURA ET Conſtitutione

Phyſiologica & Hiſtorica

Ad ſententiarum collationem in Gymnaſio Gedanenſi propoſita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico

Reſpondentis partes tenente

JOHANNE NERLICHIO, Leſnenſi Polono.

Ad diem 6. Aprilis, S. N.

In Auditorio Philoſophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exſcripta ANNO 1637.

Nobilissimis, Strenuis, Amplissimis, Consultissimisq́;

DOMINIS

Dn. ARNOLDO DILGERO, Judiciorum publicorum inclutæ ac celeberrimæ Reip. Gedanensis Assessori.

Dn. RABANO GIESEN, centumviratus ejusdem Reip. membro primario, & rei armamentariæ præfecto dignissimo.

NEC NON

Humanitate juxtìm ac integritate conspicuo

Dn. JOHANNI ROCKHOLTIO Reip. Gedanensis Civi primario.

Magnis literarum & literatorum patronis, Dominis a Mæcenatibus suis perpetuo honoris cultu observandi Hanc de voluptate dissertationem officiosè offerre & consecrare voluit

JOHANNES NERLICHIUS Lesnâ Pol.

Respondens.

Miſcellaneorum
Decadis II. Exercitatio VI.
De Voluptate.

I.

PErpetua in reb⁹ humanis doloris & voluptatis miſtura eſt, & ubi uber, ibi tuber reperitur, eleganter ille â Madaurâ Philoſophus in 4. Flor. ait. Vbicunq́ dulce eſt, ibi & acidum invenies, id reddit Arbiter p. 34. ſat. Et luculentè aſſurgit Comicus in Amph. a. 2. ſ. 2. cum ita dijs placitum ait, voluptatem ut mœror comes conſequatur. Quin incommodi plus maliq́ illicò adſit, boni ſi obtigit quid. Ille Macedoniæ Tyrannus id nôrat, cum rebus plurimis unâ luce feliciter patratis non gaudio inſolenter exſilijt, ſed paſſis in cœlum lacertis, O fortuna, inquit, pro tantis bonis levi ſuccutere malo ſuſtineas. Quando rerum conditio lætum triſti ſparſum habet, & dolor ac voluptas invicem cedunt: non citra rem erit, doloris ſpeculationi voluptatis conſiderationem ſubjungere. Itaq́ dolore præcedente exercitatione diſcuſſo, jam quid voluptas ſit, inquiremus. Ne voluptate nos perfundi ſentiamus, & quid ipſa ſit, fœdâ ſupinitate nos ignorare cum circumſcriptis quorundam animis patiamur, qui in tenebris ignavo marceſcere otio, quàm in luce ac pulvere cum labore verſari malunt, ut Scaligeri verba ſunt ex. 6. ſ. 4. quiq́ in ſuperficie ac ſupinitate, quam ipſi vocant ſimplicitatem, contemplationis noſtræ poſuerunt finem. Ac curioſos cæteros vocant, & Scholaſticos: Cum ipſi hoc, quod benè dicunt, amant neſcire ſeſe, quare aut quomodo dicant. Aſinis ſimiles, qui triticum ad molas ferunt. Recti namq́ officij ui

ignorant finem, ejusdem verbis ex. 249. s. 3. *Cumq; parum sciè in voluptatis cognitione ac judicatione seipsos prisci modificârint, ut idem loquitur* ex. 299. s. 2. *curiosiùs latentem ejusdem indolem disceptando perquirere necessum erit.*

2. Dari *in rebus humanis voluptatem & sensuum & intellectus, experientiâ patet, & ex contrario ejus, dolore, facilè liquere potest. In sensu voluptatem esse qui negat, nunquam conspexit viridariorum amœnitates, ait* Scalig ex. 299. s. 2. *Intellectum voluptate perfundi contemplantium jucunditates docent. Subtilitates enim vegetis ingenijs summam cognoscendi adferunt voluptatem, dicente eodem* ex. 307. s. 3. Socrates *integrum diem immobilis in jucundâ speculatione transigebat, donec quæsita invenisset.* Goclen. adv. §. 10. Archimedes *inventione suâ defixus præ gaudio in publicum nudus progressus suum* εὔρηκα εὔρηκα, *inclamat.* Vitruu l. 10. *Sed* ubi & quot modis *spectari queat voluptas, hic velut præcogniti loco ostendendum. Considerari potest* vel *ut homini ejusq; statui à Deo primùm concreata fuit, ubi in integritate omnia sinceræ voluptatis plena fuerunt, expertia doloris, mœroris: Ita Theologo in felicitate primi status hominis considerabitur:* Vel *ut operationum moralium consequens est. Ita Ethicus eam ut consequens summi boni actorumq; moralium assumet:* Vel *ut certis hominibus magno studio captata ac exercitata fuit. Ita Historico & Philologo spectanda adjicietur. Sic voluptatem antediluvianorum ex sacrâ historiâ,* Gen. 6. v. 1. Matt. 24. v. 38. *Sodomitarum ex* Gen. 19. Ezech. 16. v. 49. Luc. 17. v. 28. *Sybaritarum ex* Athenæo l. 12. c. 6. *Siculorum ex* eodem c. 5. *Persarum & Lydorum ex* c. 3. & 4. *alijsq; percenseat Historicus:* Vel *ut moderatè in Republicâ servanda ac exercenda conceditur, justisq; repagulis determinatur: Ita de exercitijs voluptarijs & relaxationibus Principis, Magistratus, Civium præcipit Politicus inter cæteræ*

suæ

suæ disciplinæ præcepta: Vel *ut intellectionum aut sensuum exteriorum quoddam est additamentum, ita Physiologo velut doloris oppositum advertenda erit, & nostræ disquisitioni magnam partem subjicietur. Ita tamen, ut & cæterarum specierum aliquam rationem in divisione teneamus.*

3. *Præmisso, ubi consideretur voluptas, addenda* nominis *est evolutio. Ea* per *homonymian, Etymologiam & Synonymian expediatur.* Homonymicè *sumitur voluptas* vel *Tropicè* vel *propriè.* Tropicè 1. pro *causâ & objecto voluptatis. Ita amicum, conjugem, filium, magnam nostram voluptatem vocamus. Sic* ap. Plautum in Caſ. a. 2. ſ. 8. *Ut ego vix reprimo labra, quin te deosculer, voluptas mea.* Apuleius *mea festivitas dixit.* 2. metam. p. 119. 2. Synechdochicè *pro voluptate corporis, nobis cum belluis communi & animi bona evertente.* Cicero d. ſeneƈt. §. 44. *Divinus Plato escam malorum voluptatem appellat.* Plin. præf. l. 14. N. H. *Ergò Herculè voluptas vivere cœpit, vita ipsa desiit.* Conf. eundem l. 36. c. 1. Cyprian. d. bono pudic. *vicisse voluptatem maxima est voluptas.* 3. pro *publicis oblectamentis, quæ in Republicâ ex gladiatorum spectaculis percipiuntur. Sic* Apulej. 1. metam. p. 105. *voluptatem gladiatorij spectaculi dixit. Et notæ ad* Minucium Felicem, *gladiatores publicis voluptatibus deputatos dicunt.* 4. pro *qualitate & conditione ejus, quod volupe est, unde quasi volupitas dicitur, ut à facili facultas.* 5. Propriè *sumitur generaliter pro oblectatione s. gratâ perceptione voluptariæ qualitatis in illo, quod volupe est, sive animi s. corporis, sive honestum sive inhonestum, sive naturale sive morale illud objectum sit. Ita hic sumitur. Quidam semper turpis significati eam esse volunt. Sed & generalis hujus extant usurpata apud Authores. Sic* Cice. 1. d. finib. §. 25. *recta & honesta quæ sunt, ea faciunt ipsa per se lætitiam, i. e. voluptatem.* idem §. 37. *Omne*

id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne id, quo offendimur, dolor, & doloris omnis privatio rectè nominata est voluptas. Etymologicè *voluptas derivationem Logicam non habet, quia ipsa ultimatè abstractæ significationis est, aliud se prius significatum non habens, unde denominetur: Sed ipsa cæteris ut concretis denominationem largitur. Vndè ab eâ Logicè volupis & volupe, voluptarius, (pro quo Barbarè dicitur voluptuarius: nam ut à voluntas voluntarius, non voluntuarius, sic à voluptas voluptarius, non voluptuarius) voluptabilis ap.* Plautum Epid. a. 1. f. 1. *voluptuosus, unde voluptuosa res ap.* Plinium l. 2. ep. 13. *voluptari ap.* Apulej. 9. metam. p. 219. *pro libidinari. Daphne mero & prandio matutino saucia cum suis adulteris voluptatur, ut* Elmenhorst. *legit. Alij volutari legunt, ut* Beroaldus. *Et quæ similia inde derivantur.* Grammaticè *dicitur à volendo & volupe, quòd sit qualitas ejus, quod volupe est ac volumus. Vnde à volo est volupis, volupe, & hinc volupitas & contrahendo voluptas: & ut quibusdam placet, apud Comicos etiam volptas. Conf.* Becman. origin. *sub voce figura.* Synonymicè *dicitur etiam, jucunditas, volupitas, volptas, delectatio, doloris vacuitas, suavitas, festivitas* Apulejo p. 119. *Romanis Volupia dea præses voluptatum fingebatur. Delitiæ, voluptaria ratio, recreatio, affectio grata, naturæ conveniens.* Placentiam *etiam Latinè dicere possumus cum* Scalig. ex. 299. f. 2. *tranquillitatem & securitatem animi q. compositis rebus ex sententiâ quiescentis, &c. Græcis* ἡδονὴ, *quam Plato quasi* ἡ ὀνὴ *dictam putat, quod sit actio* πρὸς ὄνησιν. *Rectius ab* ἥδω *oblecto, quasi ab* ἀδεῶ, *Et ab Hebr.* עֵדֶן, *unde* ἡδὺς, ἥδυμα, *& alia. Hebr.* עֵדֶן, *unde hortus Eden, hortus voluptatis,* Gen. 2. v. 8. *ut Latinus reddidit. Germanis* Wollust/ *â* wol/ & lust/ *Belgis* weelde/ *â velle, &c.*

4. *Nomi-*

4. *Nomine explicato* res absolutè *in definitione, causis, subjecto, divisione & affectione expediatur.*

5. Definitio *sit:* Voluptas est objecti temperatè subjectum afficientis jucunda perceptio, suaviter illud perficiens.

6. *In* definitione est & genus & differentia. Genus *est jucunda perceptio. Perceptio est receptio objecti afficientis in sensorium, aut facultatem quamcunq; receptivam. Iucunditas est suavis & naturæ conveniens objecti moderatio, quâ ad immoderationem vel excessivè vel defectivè illud non deflectit. Voluptas ergò est passio jucunda; quemadmodum dolor erat acerba*, dis: 5. th: 6. *Ita ergò passio est genus ad voluptatem & dolorem, velut species sibi subjectas: passio vel receptio jucunda est genus proximum voluptatis ad species varias sub voluptate subjectas, quas, quia nomine proprio & specifico, quo enuntientur, carent, cum additamento vocamus naturales, spirituales, sensitivas, intellectivas, &c.* Ut th. 17. *patebit. De cæteris varietatibus in genere voluptatis, dum* vel *sensionem lætam*, vel *motum aut affectum*, vel *rem convenientem naturæ*, vel *qualitatem aut dispositionem*, vel *commune omnium passionum genus quidam eam definiunt*, th: 7. 8. 9. 10. 11. disput. 5. *videantur. Unde quæ de doloris genere sunt disputata, per analogiam de voluptate sunt intelligenda. Et sic tractatione istorum commodè hic supersedetur.* Goclen in advers: n. 10. *duplicem facit voluptatem:* unam, *quæ sit convenientis speciei perceptio, quæ in apprehensione sensus vel intellectus sita sit:* alteram, *quæ sit* ἀπόλαυσις *s. fruitio perceptionis, quæ in judicio aut memoriâ perceptæ rei consistat. Utrobiq; esse voluptatem. Si perceptio de passione sumatur, verè voluptas perceptio dici potest, ut & de dolore est dictum* d. 5. t. 7. *Memoria præteritæ voluptatis est quasi voluptas iterata, quando objectum receptione velut præsens sistitur, & afficere*

subjectum suaviter cogitatur. Vnde Aristot: 1. Rhet: c. 11. *jucunda vel in sensu præsentium, vel memoriâ præteritorum, vel spe futurorum consistere ait.*

7. *Ex* differentiâ *dicitur* perceptio objecti moderatè subjectum afficientis. *Quæ desumpta est ab efficiente & fine.* Efficiens *est objectum moderatè subjectum afficiens.* Objectum *est, quod potentiæ receptivæ objicitur, & de potentiâ in actum eam deducit. Ita objectum visus, quod actu illam facultatem circa aliquod occupari videndo facit, ut color, lux: auditus, quod actu audiri aliquid facit à facultate audiente, ut sonus. Ita in voluptate aliquid requiritur, quod virtuti recipienti objiciatur, eamq; actu operari faciat.* Subjectum *est, quod ab objecto afficitur, ejusq; actionem in se recipit. Objectum moderatè afficere dicitur. Estq; hic* vel res, *quæ realiter subjectum afficit, e. g. cum vinum bibitur, vinum est res oblectans:* vel species rei cogitando repræsentata, *v. g. cum præcedens vini oblectatio cogitando præsens sistitur, & tum iterum voluptas aliqua subjecto conciliatur. Vtrobiq; voluptas est.* V. t: 6. *Moderatè afficere est convenienter subjecto & proportionatè afficere, ut per illud nec evertatur subjectum recipiens, nec in statu naturali & conveniente turbetur, aut ad præternaturalem detrudatur. Ergò in voluptate objectum moderatè afficere debet, i. e. convenienter, proportionatè, suaviter subjecto spectato, non nimiùm.* Hoc formale est in efficiendâ voluptate, subjectum moderatè, i.e. convenienter, temperatè afficere. *Et hac causâ velut continente positâ statim ponitur voluptas: remotâ tollitur. Et probatur* 1. Causam voluptatis *proximam causæ doloris proximæ contrariam esse oportet. Sunt enim dolor & voluptas contraria: E. & eorum causæ continentes contrariæ. Contrariorum enim consequentium & effectorum sunt contraria antecedentia & causæ. Sed causa doloris proxima erat objectum immoderatè sub-*

ratè subjectum afficiens, per d. 5. th. 12. E. causa voluptatis proxima erit objectum moderatè & suaviter subjectum passibile afficiens. 2. Positâ suavi affectione subjecti necessariò ponitur voluptas, tanquam consequens illam ex naturâ rei. E. illa est proxima causa voluptatis & velut formalis. Nam ubi ponitur aliquid necessariò ad rem requisitum, & ex naturâ rei est prius ipsâ re, id necessariò est causa istius rei. Sed ita suavis affectio ad voluptatem se habet. Nomina enim ullam voluptatis speciem, in quâ non sit jucunda subjecti recipientis ab objecto determinatio? Nam ubi voluptas, ibi oblectatio vel sensus, vel intellectus, vel voluntatis. At ubi oblectatio, ibi objectum aliquod oblectans esse potest. Aut remove talem subjecti determinationem, & vide, quî voluptatem statuere queas? E. ea jure pro proximâ causâ agnoscenda est.

8. Multa contra hanc causam voluptatis moveri possunt, quorum aliqua hic tangenda. Dices 1. Illa causa non competit omni voluptatis speciei. Nam voluptas ex beatificâ visione Dei est summa voluptas, & si objectum eminentissimo modo afficiat intellectum. E. non est universalis, & consequenter nec vera. R. Distinguendum inter objectum, & afficiendi modum in objecto. Objectum, quod voluptatem infert, potest esse eminentissimum: modus tamen afficiendi subjectum temperatus & conveniens illi sit oportet, secus evertet subjectum, non evehet. Idem est in visione beatificâ. Deus est objectum eminentissimum: Modus tamen, quo se Creaturæ videndum exhibet, creaturæ conveniens & attemperatus sit oportet, nisi creatura in totum destrui debeat. Recipiens enim recipit secundum modum suæ receptivitatis, vel naturalem, vel adventitium & communicatum. Et sic est proportio inter objectum visum & facultatem videntem, divinitùs elevatam, & ad videndum Deum evectam. Secus si

Deus

Deus omni suo modo, quo potest, se creato videndum exhiberet, & creatum nec naturaliter aptum ad videndum esset, nec supernaturaliter elevatum, in nihilum redigeretur creatum. Videbimus Deum, sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2. *sed modo, quo in nostrâ visione divinitùs elevatâ esse potest. Sic videmus solem, sicuti est, sed modo, quo ab nostro oculo recipi potest.* Dices: *Deus est infinito modo perfectus. E. nos infinito modo perfecto videbimus. R. Non sequitur, sed hoc tantùm: E. videbimus eum, qui infinito modo perfectus est, non quasi noster modus videndi infinitè perfectus futurus sit. Sic sol est lucidissimo modo splendens, qui in natura est. E. nos videmus eum, qui lucidissimo modo in naturâ splendet. Non autem: E. nos lucidissimo modo, qui in naturâ esse potest, videmus. Ad modum ipsius rei visæ, non nostræ visionis est accommodandum.*

9. 2. Semper *est proportio moderationis vel convenientiæ inter objectum voluptariũ, & subjectũ recipiens istud, sed vel naturaliter, vel elevatè & præternaturaliter sehabens. In visione beatificâ est proportio inter Deũ & nostrũ visũ, nõ naturaliter se habentẽ, sed supernaturaliter per divinã gratiã ad videndum elevatum. Et sic in hac voluptate adhuc objectum temperatè afficit subjectum recipiens, quia elevatum est ad videndum Deum, & sic nactum est proportionem videndi: quare cum ab objecto, Deo, afficitur, temperatè s. convenienter pro tali statu elevato affici creditur, & sic voluptate perfunditur.* Temperatio hic opponenda est injucunditati, acerbitati & ingratiæ, ut ita dicam, perceptionis: non sublimitati, eminentiæ, vel excellentiæ. *3. Si omninò hic temperatio afficientis objecti turbetur, distinguendum erit inter voluptatem* naturalem, *de quâ definitio loquitur, & ultrà non est extendenda, ubi semper proportio requiritur: &* supernaturalem, *qualis est visio beatifica. In quâ, quomodo se res circa convenientiam vel non convenientiam habeat, frustrà à*

strà à Philosopho requiras, qui ad illud Ens, visionem beatificam, mero lumine naturæ se extendere non potest, cum sit meræ revelationis modus: sed à Theologo postulabis, qui & ens & convenientiam modorum exponere poterit: aut se, ut plura alia horum, ignorare, & ad ipsam intuitivam Dei semper Patris visionem reservare oportere fatebitur.

10. Dices 2. Voluptas *ex studijs & intellectione orta tantò est major, quantò excelsiùs objectum cognitum afficit subjectum cognoscendum, Non ibi moderatio affectionis requiritur. Ita eò majore voluptate perfunduntur docti, quò subtiliùs objectum percipiunt. E. nec in hac voluptate ista causa procedit. R. Distinguendum inter modum afficiendi* excellentem & excedentem. *Excellens esse potest, & cum voluptate consistere: excedens non. Cum objectum eminentissimo modo est cognitum, tàm excellenti modo potentiam cognoscentem afficit, manendo tamen intra proportionem, & evehendo in clariorem cognitionem subjectum, non evertendo. Intellectus ad talem cognitionem recipiendam capax est & habilis, nec per eam evertitur, sed extollitur & perficitur. Et hactenus est conveniens illi & temperata affectio, adeoq́ue voluptas. Sic excellens color nisi modum excedat, suaviter afficit visum, & sic temperatè dicitur afficere, & si in se excellenti modo afficiat, dum non modò evertat ipsum, dicitur moderatè afficere.* 3. Cum Deus *hominem prophetico lumine illustrat, tùm clarissimè afficit ejus intellectum, non temperatè saltem. Sic Danielem; Esaiam. Et tamen ibi summa voluptas. E. non adæquata voluptatis causa, temperata affectio. R. Deus illustrans intellectum temperatè afficit intellectum, quà divinitùs ad cognoscendum est elevatus, & sic non evertitur per illam illustrationem intellectus, sed convenienter exaltando afficitur: Etsi intellectus merè naturaliter se habens ad ea fortè non capax, & sic immoderatè affici dicendus sit.*

Conferenda hic est illustratio divina, & intellectus divinè elevatus, sic erit conveniens affectio, & sic voluptas: non inconveniens, & sic dolor: Non lumen divinum & intellectus merè naturaliter se habens: Et licet hoc modo spectetur, manet tamen temperatio. Quia intellectus per illas revelationes non destruitur, sed perficitur.

II. 4. Deus *cognoscens seipsum summâ voluptate perfunditur. Et tamen hic non moderata, sed excelsissima & infinita intellectus divini est affectio. R. Est excelsissima affectio ratione modi: temperata ratione subjecti, quod afficitur, intellectus divini. Ille talis affectionis est capax: quia & ipse infinitus, non corrumpitur per eam, & sic manet moderatio, i.e. convenientia talis affectionis, excelsissimæ & infinitæ, ad talem intellectum, excelsissimum & infinitum.* 5. Voluptas *Venerea est summa voluptas. Et tamen intemperatè afficit, habetq; ejusmodi adjunctum incendium, ut penè à nobis abeni feramur eò, ut* Scal. *loquitur* ex. 299. f. 2. *E. nec hic illa voluptatis proxima causa est. R. Voluptas Venerea temperatè afficit, quia convenienter animali afficit: & si aliàs cum incendio impetuq; quodam id fiat. Impetus ille non evertit animal, nec est illi disproportionatus, sed servat; itaq; conveniens illi & moderatus dicitur. Sic gulosus impetuosè fertur in alimenta, & tamen voluptate fruitur. Quia iste impetus conveniens illi est, non disproportionatus, sicq; temperatè afficere dicitur. Sic dolor dicitur excessivè afficere, non quasi semper sit excessus quidam, nam fames & sitis ex defectu sunt,* V.d.5.t.19. *Sed quòd disconveniens & improportionata animali sit affectio, quæ molestet & insuaviter afficiat illud, non evehat aut perficiat. Sic voluptas moderatè afficit, quia convenienter animali, & si non semper præcisè in medio consistat. Excessus hic est* quicunquè egressus à proportione ad extrema, *sive ad summum s. imum,* Conf.

Scalig. c. l. Goclen. in adverſ. §. 32. *Non præciſè eſt exceſſus ratione modi, ſed affectionis ſubjecti, quod id præter naturam afficiatur.* 6. Titillatio *voluptatem parit. Et tamen minimùm afficit, ut minima tactus perſperſio in partibus ſpirituoſis & laxioribus. E. non ſemper ita moderatio affectionis ſervanda. R. Titillatio minimùm afficit, reſpectu habito ad tactum, cujus ſenſorium leviter ſtringitur, non vehementer: Sed moderatè afficit* habitâ convenientiâ ad ſubjectum, *quod competenter afficitur, non diſproportionatè, ut de ſtatu ſuo naturali deturbetur, aut injucundè moleſtetur.* 7. Voluptas *eſt accidens perfectionem vivi comitans. E. non eſt ipſa perfectio. Et ſic nec perceptio. R. Non eſt perceptio, ſi perceptio pro ſenſione ſumatur: Eſt, ſi pro paſſione ex ſenſione vel perceptione convenente ortâ. Non eſt perfectio eſſentialis: benè accidentalis. Perceptionis vox eſt ambigua.* V. d. 5. t. 7.

12. *Dicitur porrò in definitione,* objectum ſuaviter afficere ſubjectum. *Hoc quodnam ſit, inquirendum. In dolore dicebatur, objectum afficere ſenſorium externum.* d. 5. t. 16. *Sed hic ita determinatè ſubjectum conſtringi nequit. Quia voluptas latiùs funditur dolore, & pluribus rebus competere poteſt, quàm dolor.* Hic *propriè Phyſicis rebus ineſt & ſentientibus ac corporeis.* Illa *& ſpiritualibus & ſupernaturalibus rebus. E. hic generaliter tantùm dicitur affici ſubjectum, i. e. omne iſtud, quod voluptatis eſt capax, ac à ſuavi objecto jucundè recreari poteſt.* Subjectum hoc vel eſt ſpirituale, vel corporale. Spirituale vel *infinitum* vel *finitum.* Infinitum, *ut Deus. Hic ſummâ perpetuâq; voluptate in ſeipſo & à ſeipſo perfunditur, & ipſe ſibi eſt & objectum voluptarium, & ſubjectum voluptate perfuſum. Nec aliquid extrà ipſi accedere putandum eſt, quod voluptatem ipſi inferat. Sed ut ipſe ſibi eſt omnia, intra omnia, ſupra*

omnia, præter omnia: Ita & sibi sua est voluptas indefecta & constantissima. *Vnde* Aristot. *eum per se ipsum beatum vocat quia talis sit per naturam.* l. 7. Polit. c. 1. *Et ut ab æterno in æternum immutabilis persistit,* Psal. 90. v. 2. *Ita & perpetua sibi voluptas immutabiliter consistit. Hæc voluptas superioris ordinis ab omni naturali est, nec à nobis perfectè intelligibilis, nec explicabilis. Scriptura beatitatis nomine eam vocat.* 1. Tim. 1. v. 11. c. 6. v. 15. *lætitiæ,* Psal. 16. v. 11. *lucis.* Psal. 36. v. 10. *Et inde nos lætificari ait.* Psal. 36. v. 9. Act. 2. v. 28. *Et pluribus de eâ in Theologicis.* Philosophi *aliquid de illâ etiam per naturam cognoverunt, ut ex* Aristot. c. l. & l. 2. ma. moral. c. 15. l. 1. d. cœl. c. 9. t. 100. l. 10. Eth. Nicom. c. 8. Apulejo l. d. mundo, & in Trismeg. d. nat. deor. & l. d. Deo Socratis, *alysq; patet.*

13. Subjectum finitum vel *est incorporeum,* vel *corporeum.* Incorporeum, *ut angelus & anima separata. His voluptates competunt, sed spirituales & superioris ordinis, quàm corporeæ. Hæ voluptates sunt* vel *intellectus, ut ex contemplatione ortæ, eamq; secutæ,* V. t. 3. Vel *voluntatis, quæ operationes morales sequuntur, & gaudium secum habent. Sic angelis tribuitur voluptas & gaudium.* Luc. 15. v. 19. *exultatio.* Luc. 2. v. 13. *Sic cœlestibus.* Apoc. 12. v. 12. *animabus Apostolorum & Prophetarum,* Apoc. 18. v. 20. Corporeum, *quod ex formâ & materiâ est compositum. Hoc* vel *animatum,* vel *inanimatum.* Animatum, *quod formâ vivâ est præditum. Hoc* vel sentiens, vel non sentiens. Sentiens vel *rationale, ut homo,* vel *bestiale, ut brutum. Sentienti voluptas* primò *tribuitur, ut & dolor, quæ inde corporea vocantur. Et* de hoc primò intelligenda voluptas, th. 5. *definita, & si in proportione ad aliorum subjectorum creatarum, ut angelorum & animarum voluptatem eam extendere fas sit. Ita usitatum est in speciebus analogis, ubi una per*

prius

prius est aliquid, altera per posterius, potiorem analogati speciem respicere, & ejus intuitu rem definire. *Sic* Aristoteles demonstrationem *definiturus praecipuam & nobiliorem definijt, ex cujus naturâ per analogiam de alterâ judicandum erit.* *Ita ergò subjectum voluptatis totale & denominationis erit animal, rationale vel bestiale.* *Sic in Adamo integro fuit summa voluptas corporis, animi & loci: In Christo voluptates mentis sincerae fuerunt.* V. Luc. 10. v. 21. *Corporeae temperatissimae & rarae.* *Flevit saepius,* V. d. 5. t. 18. *Ridere nunquam visus est, ut Lentulus ad Tiberium scripsit: Et in animali appetitus sensitivus, sensorium externum, & partes sensibus instructae.* *Ita titillando in quibusdam partibus voluptas cietur.* V. t. 19. Non sentiens, *quod animâ vivâ non sentiente est praeditum, ut planta.* *Huic* per analogiam *voluptas tribuitur, sic & dolor.* *Ita ergò palmam gaudere dicimus simili palmâ, corylum myrto, juniperum oleâ, & ad eam laetissimè provenire.* *Contrà quaedam alijs junctae tristantur, & velut dolent, ut aconitum & rutâ.* Plin. l. 20. c. 13. *vinum brassicam refugit, & in adversam torquetur partem.* Inanimatum, *quod formâ non vivâ est praeditum. Huic aequivocè interdum voluptas tribuitur, ob sympathiam, ob quam suaviter unum alteri junctum esse deprahendimus.* *Sic magnes delectari ferro dicitur, quia libenter illi junctus est, illudq; avidè attrahit.* *Selenites lapis ex Arabiâ ad Lunae incrementa velut voluptate perfunditur, ac eâ crescente turget, decrescente subsidit,* Gocle. tr. d. ungu. arm. p. 46.

14. *Contra subjecti voluptarij doctrinam ita objicitur: Dolor erat passio sensorij externi.* d. 5. t. 16. *E. & voluptas ejusdem esse debet.* *Nam* contraria in eodem sunt subjecto. *R. dolor ibi definitus est dolor Physicus, tanquam primarium analogatum, cujus subjectum totale est animal, proximum & partiale sensorium externum.* *Ejus oppositum est*

voluptas Physica, *quæ similiter sensus externi ut proximi subjecti est affectio. Et ita sunt in eodem subjecto. Sic voluptas omninò in sensorio externo.* th. 13. *Sed ut in dolore etiam ad morales & spirituales flexum est, qui in mente non corpore subjectantur: Ita similiter hic in voluptate latiùs subjecta sunt extendenda: esto, definitio ad potiorem analogi speciem, voluptatem corpoream, maximè sit referenda, quod in analogorum definitionibus non insolens esse dictum est* th. 13. *Ita negat* Scaliger ex. 299. s. 2. *de voluptate rectâ & vitiosâ, illa, quæ passio est, & illa, quæ qualitatis, vel animi vel corporis, univocè & æqualiter voluptatem ullâ ratione dici posse. Contraria sunt in eodem subjecto, scilicet* in quantum sunt & manent contraria. *Sic dolor corporis & voluptas corporis sunt contraria. In eodem ergò subjecto, sensu exteriore. Dolor & voluptas mentis etiam sunt contraria. Et hæc in eodem subjecto, mente, sed pro suâ ratione, & ad analogicam voluptatis cum prioribus speciebus attributionem, non univocam.*

15. *Additur* ultimò in definitione, ex fine, quod voluptas suaviter subjectum perficiat. *Finis voluptatis est, ut subjectum perficiatur, in statu scil. convenienti & commodo suæ naturæ. Ita quælibet voluptas subjectum tanquam finis ejus commodè perficit. Voluptas corporis in sensu externo perficit, ut ita in commoditate suâ servetur animal. Voluptas mentis in contemplando perficit, ut intelligens in beatitudine suâ perficiatur. Veneria vol: perficit, ut species per eam conservetur. Spiritualis spiritualiter, corporalis corporaliter perficit: quævis pro suo subjecto & modo convenienter. Vltra quem si ad alienos fines extendatur, jam aliena à suâ naturâ abit. Ita si altorsum spectat potus, quàm ad liquefactionem, attenuationem, lubricationem, delationem cibi, succive suapte naturâ crassioris, ex suis exit finibus, neq;*

amplius

amplius est voluptas. Si hæc humana sapientia ad communia civium incommoda aut ad privatas noxias comparatur, jam aliud fit: non à suis partibus major, sed ab alienis deformior. Alio namquè fine rapta priorem amittit formam, *ut sunt verba* Scalig. ex.299. s.2. *Perficit a. voluptas* & mediatè, *ut ipsa ad alium & ulteriorem finem accommodetur à subjecto; sic voluptas gustus adhibetur, ut commodè nutriendo conservetur animal:* & immediatè *ac formaliter, ut ipsa sit finis & perfectio subjecti, quâ adeptâ illud suaviter quiescat. Hoc Aristot. intendit, quando negat contra Veteres, eam esse motum: & potiùs statum, finem & quietem vocat.* V. d. 5. t. 8. *Et probatur:* 1. Nulla *perfecta* ἐνέργεια *est motus. Nam hic in fieri & tendentiâ ad formam acquirendam consistit, adeoq; est motus imperfectus,* 3. Phy. c. 2 t. 14. *Voluptas est perfecta energeia. Nam & propter se expetitur, & in eâ ut fine subjecta quiescunt. Sic animal quiescit, cum bene & volupe habet, per se ultrà aliquid non desiderat.* 2. Voluptatis *totum esse est simul, nec habet successionem, nisi per accidens, & ratione actuum, per quos extenditur. Sic voluptas edendi per 2. 3. horas extendi dicitur. At motus esse partialiter succedit, non simul totum est. Ergò.*

16. Dices 1. Voluptas *est in tempore, & per id continuatur. Sic voluptas tot horarum, dierum, dicitur. E. est motus. R. Est in tempore non propriè & ratione suæ formæ internæ, sed per aliud, ratione motuum, in quibus est, & quorum adjunctum comitans est, qui per tempus & horas extenduntur. Inde non essentialiter fit perfectior, sed subjectivè & accidentaliter.* 2. Cicero 2. d. finib. §. 8. *voluptatem jucundum motum, quo sensus hilarentur, vocat. R. Obiter & generaliter Authores ita loquuntur, & magis causaliter, quàm formaliter. Est motus, quia in & cum motu, cujus suavis est determinatio & perfectio, ut dolor sensus dicebatur, quia in & cum eo, nunquam*

quam sine eo. d. 5.t:7. *Sic rectè Cardanus* l. 20. d. subt: p: 981. *Nobis voluptas fortassis semper est cum motu, quia & nos cum illo semper sumus.* 3. Voluptas *huic celeriùs, alij tardiùs infertur. At celeritas & tarditas sunt accidentia motus. R. Voluptas celeriùs aut tardiùs infertur passivè, ratione subjecti, quod voluptate perfunditur: non activè, quasi ipsa in suâ formâ celeriùs aut tardiùs invaderet. Sic enim* ἐν τῷ νῦν *& in momento invadit: simùl tota, non per successus tardiores aut velociores. Nos tardiùs vel citiùs ad voluptatem deduci possumus: sed ipsa ex ratione sui simùl tota afficit.* 4. Qui voluptate *perfunduntur, mutantur ex tristibus in lætos. E. voluptas est mutatio, & sic motus. R: Voluptas est mutatio, passivè sumpta, in eo qui mutatur: non in suâ essentiâ, sic enim status & perfectio est, magis quies, quàm motus. Sic est mutatum & perfectum esse, non ipse motus mutandi.*

17. *Ita voluptatis* definitio, causæ & subjecta *fuerũt*. Sequitur divisio. Ea vel apparens vel vera. Apparens, *ut cum* Prodicus *voluptatem in* χαρὰν, τέρψιν, εὐφραίνεσθαι *divisit. Ammonius* εὐθυμίαν *&* ἀπόλαυσιν *addidit. Vbi & species cum genere confunduntur, & partes rei pro speciebus assignantur.* V. Scalig. ex. 299. s. 2. Vera, quæ vel in species, vel gradus. Ex speciebus *voluptas alia est ex suâ naturâ talis, alia ex eventu. Ex suâ naturâ talis, quæ rectè se habentibus subjectis competit, & talis ab illis judicatur. Hæc est* vel *spiritualis* vel *corporalis. Spiritualis, quæ in spiritu* vel *spirituali facultate est, eamq́; perfundit, Estq́; vel supernaturalis vel naturalis. Supernaturalis, cujus principium est supernaturale. Estq́; vel divina, quâ Deus in seipso perpetuò perfunditur,* V. t. 12. Vel *angelica, quæ in angelis bonis vel malis est.* Bonis, *ut cum gaudent super pœnitentiâ.* Luc. 15. V. t. 13. Malis, *cum voluptatem super peccatis & confusione capiunt, unde* ἐπιχαιρέκακοι *dicuntur :* Vel *bea-*

torum

torum hominum aut mentium separatarum, in quibus spiritualis animi facultas voluptate perfunditur. Quæ vel *in hæc vitâ, ubi pij gaudent in Deo semper patre.* Nehem. 8. v. 10. Psal. 28. v. 7. Psal. 37. v. 21. Psal. 63. v. 6. *& passim:* vel *in alterâ, ubi gaudebunt in perpetuâ & intuitivâ patris visione.* 1. Pet. 1. v. 8. Apocal. 21. v. 4. Vel *hominum reproborum, magorum, lamiarum, quos interdum voluptate Sathanas perfundit, ut cum ad tripudia & solemnitates in montem Bructerorum transportantur: interdum præstigijs eludit & phantasmatibus, ut sibi volupe esse putent, cum somnijs attineantur.* Naturalis, *quæ ex naturâ principium habet, & vulgo vol: animi dicitur. Estq́;* vel *intellectus, ex contemplatione orta,* V. t. 2. Vel *voluntatis, estq́; gaudium de rectè honesteq́; actis. In Ethicis consequens & comes perpetuus summi boni moralis dici solet. Aristoteli* 7. Eth. Nicom. c. 13. *est operatio non impedita ab habitu secundùm naturam profecta. Vbi operatio non impedita metalepticè est idem ac operationis jucunditas & perfectio, quæ velut finis superexoriens actui accedit,* Ut l. 10. c. 4. *se explicat.* Plato *gaudium appellare mavult, quàm voluptatem.* V. Piccolomin. gr. 9. c. 16. *De eâ plura in Ethicis.*

18. Corporalis *voluptas est, quæ in corpore & corporeâ facultate est, eamq́; comitatur. Hæc vel generalis est, quæ* omnes sensus *& sensitivas actiones sequitur. Ita est voluptas visus ex inspectione elegantis picturæ, loci viridis & amœni: Auditus ex auditione demulcentis Musicæ: olfactus ex odore rei fragrantis:* Vel specialis, *quà gustum & tactum. Ab hac, si immoderata sit, homo dicitur intemperans: à prioribus propriè & per se non, sed respectivè & per aliud. Magis enim ad voluptates animi eæ accedunt, unde & organa earum natura sublimiùs collocavit, quàm gustus & tactus. Sic nemo ob auditum Musicæ, visum pulcræ rei per se intem-*

 perans

perans dicitur, nisi ad tactus & gustus voluptatem illa referat. Sic si quis cantione obscænâ delectetur, ut libidinis appetitum proritet: odorem vini exploret, ut ingluviem impleat, vel unguenta adhibeat, ut luxuriei vacet: picturas pulcras adspiciat, ut libidinem exsaturet. Hoc modo in odore *maximam ponit luxuriam* Scalig: ex. 286. ſ. 3. Conf. Ariſt. ſ. 28. probl. q. 2. Utraquè vel honeſta *est, quæ in medio modoq́; prudentiæ permanet:* vel inhoneſta, *quæ à medio ad extrema recedit. Sic in tactu non est voluptas inhonesta totaliter & secundùm totum corpus, ac omnia membra. Vt si fricentur lacerti, scapulæ, crura in balneis, ut mundentur: titillentur volæ manus, vel aliæ partes delicati tactus, ut amorem erga aliquem significemus: exerceantur brachia, manus, in motu, ut validiora & agiliora fiant: Sed* partialiter, *secundùm os & pudenda, unde nimiùm vorantes, bibentes, venerem exercentes, intemperantes, & moraliter inhonestos dicimus, quod voluptati cum beluis communi sint dediti. De his disquirunt pluribus Ethici.* Scaliger ex. 286. ſ. 3. *negat, voluptatem Veneream sensus tactus esse, sed sexti: cujusdam sensus distincti à 5. reliquis externis. Sed ipse 5. tantùm esse sensus externos agnoscit & probat* ex: 297. ſ. 2. 3. & ſ. 4. *Objecti ratione unum sensum multa comprehendere ait. Vnde veteres axillarum titillationem & Veneream voluptatem eandem cum tactu, & simùl ab eo diversas judicavisse. Voluptas* honeſta eſt vel *necessaria pro servando individuo, ut cibi & potus, aut specie, ut Veneris:* vel *arbitraria, ut quæ ex honoribus, divitijs & similibus provenit.* Voluptas ex eventu *est, quæ ex depravatione oritur, & junctum dolorem habet. Hæc in animalibus & brutis & rationalibus variâ ratione locum habet. Sic capræ genista est voluptaria, homini ingrata. Sic homines feri, cædibus, sanguine, rapinis delectantur, à quibus abhorrent moderati. Sanguinei appetunt Venerem, choreas,*

convivia,

convivia, à quibus abhorrent atrobilarij. Sic voluptas cibi & potus est voluptas, dum egemus: cum non egemus, non ampliùs est delectatio.

19. *Ex* gradibus *voluptas* est vel valida vel remissa. Valida, *quæ vehementer afficit subjectum. Estq;* vel *intensa* vel *extensa.* Intensa, *quæ ratione modi vehementer afficit. Talis Dei & beatarum mentium est.* V. t. 12. 17. *Ejus exemplum est in illis, qui præ nimio gaudio repentè moriuntur. De quibus* Val. Max. l. 9. c. 12. Livius dec. 3. l. 2. c. 7. Plin. l. 7. c 32. & 53. Gellius l. 3. c. 15. *alijq; consulantur: Vel præ gaudio lacrymantur. Sic Cunradus III. Imperator præ gaudio flevit, cum fœminas maritos suos humeris exportantes vidit.* Bodin. præf. met. hist. *Plura exempla* V. ap. Camer. C. 2. c. 26. Extensa, *quæ ratione durationis diuturnè afficit. Vtriusq; exemplum sunt homines voluptatibus ac delitijs dediti, & per illam vitam deducentes. Quales fuerunt Sybaritæ, de quibus* V. Erasmum *in adag: Sybaris, Sybaritici libelli, & Sybaritica mensa. Smindyrides Sybarita, cujus* Aristot. 1. Eudem. c. 5. *mentionem facit, jactare solitus est, se delitijs indulgentem à 20. annis, nec solem orientem nec occidentem animadvertisse.* Lans. or. c. Ital. *Siculi voluptuosi fuerunt, unde mensa Sicula & Syracusana pro delitijs affluente.* Vid. Erasm. in adag. *Syracusana mensa.* Plautus Prol. Rud. *Eat in Siciliam, ibi esse homines voluptarios dicit.* Conf. Athenæum l. 12. dipnoso. c. 5. *Dionysius Siciliæ tyrannus per 90. dies potationes continuare est solitus.* Id. l. 10. c. 12. *Epidamnij voluptatibus dediti.* Plautus Menæch. a. 2. sc. 1. *Nam ita est hæc hominum natio Epidamnia, Voluptarij atq; potatores maximi. Ahasueri convivalis voluptas ad 18. dies extensa fuit.* Esth. 1. v. 4. *Sardanapalus mollis & voluptuosissimus fuit.* Athenæ. l. 11. c. 12. *Babylonij voluptuosi.* Curt. l. 5. c. 1. *Plura eorum exempla*

empla apud Athenæum l. 12. c. 3. 4. 5. seq. Valerium M. l. 9. c. 1. Apolephten l. 1. erquickst. p. 603. 604. seq: Goclenium tra. d. lux. conuiu: Meursium l. de lux. Roman. Camerar. C. 1. c. 20. *& alios videantur.* Remissa *voluptas est, quæ leviter afficit subjectum. Ejus exemplum est* scalptura *in pruritu, quæ est rarefactio cutis, ut emittatur quod vrit, & attenuetur humor, ut exhalet:* Et titillatio, *quæ est motus in superficie partium sensibilium nervosarum, in quo pars insurgit ut refugiat & tangenti resistat. Ita tandem spiritus istarum partium subsiliunt, & sensus in illis est præsentissimus. Conf.* Scaliger. ex: 317. s: 5. *Cardanus eam de genere scabiei ait esse.* l. 21. subt: p: 10 12. *Ineptissimè. Cum scabies dolor sit & morbus, titillatio voluptas. Dolemus in scabie, ridemus in titillatione.* Id. Scal. ex: 364. s: 1. *Opposita species nequit esse genus oppositæ. Scabies est dolor, titillatio voluptas. Differt â scalptione levitate. Titillatio levi fit attactione, scalptio acriori. Quæritur de eâ* 1. Cur titillatio soli homini competat? *Quia solus cutem & tactum temperatissimum habet, & solus inter animantes ridet. Movet n. titillatio risum per levem partium laxarum contrectationem.* Arist: 3. d. part: anim. c. 10. Goclen. adu: s. 20. 2. Cur sub alis, plantis pedum & in labris maximè titillamur? *Quia partes illæ subtiles, laxæ, spirituosæ, & puro sanguine plenæ sunt, & tactus in illis insuetus. Insuetorum autem citissima est perceptio. Et sub plantis concursus nervorum terminatur, qui maximè sentientes: unde sensus subtilis ibi.* 3. Cur nosmetipsos titillare non facilè possumus? *Movet id* Aristot: s. 35. prob: q. 6. *Negat* Scalig. ex. 317. *esse verum. Sed minus â seipso aliquem moveri, quòd nemo sibi sit extraneus: magis ab extraneo, quòd plus de isto imaginatio concipiat. Sic plus dolere putamus, si alius vulnera nostra tangat, quàm si nos ipsi. Et verbera ac plagæ ab alio incussæ acerbiorem sensum præstant, quam si*

quàm si nosipsos pulsemus. Ratio tamen ab Aristotele c. l. & Septalio in h. l. *assignatur, quòd alienatio quædam mentis & defraudatio risus ex titillatione sit: clandestinum autem omne & ignotum fraudulentum. Oportet aliquid repentè & latenter accedere, ut titillatio & ex eâ risus excitetur. Sed nullius tactus sibiipsi potest occultè occurrere, non enim aliquis sibiipsi peregrinus esse potest. Nec titillatio â nobis ipsis incussa inopini aliquid habere potest, cum phantasia comitetur ipsum titillatus motum, antequam fiat & cum jam fit. Sed cum alij subitò & incautos nos aggrediuntur, multò profusiorem risum excitant.* Conf. Vallesium l. 5. Cont. Med. c. 9. & l. 8. c. 5.

20. *Fuit* divisio *voluptatis. Seqvuntur* affectiones. *Eæ sunt* appetibilitas, *quâ ut bonum & jucundum quid appeti potest: Illectio, quâ suavitate sui, præsertim homines, allicit: & inprimis voluptates corporeæ id agunt, quas ob id Plato escam malorum appellavit, quòd velut hami sint, quibus homines capiantur, ut refert* Cicero d. senect. §. 44. *& quibus nullas capitaliores pestes datas esse â naturâ Architas dixit.* Id. c. l. §. 39. *Diuturnitas aut brevitas, quibus interdum subjecta perfundit. Jubilus & exultatio, quam aliquando in percipientibus ciet. Sic Israelitæ jubilârunt.* Jos: 6. v. 20. 1. Sam. 4. v. 5. Esdr. 3. v. 12. *Græci libertate â Flaminio donati tanto clamore exultârunt, ut aves prætervolantes deciderint.* Plutarch: in vit: Flaminij. Valer. M. l. 4. c. 8. n. 5. *Risus, qui quandoq; voluptati junctus est, si admiratio aliqua ad voluptatem accedat. Lacrymæ, quas voluptas quandoq; evocat.* V. t: 19. *Dolor & calamitas, quæ plerumq; voluptatis pedisequæ in hac vitâ.* V. th: 1. *Corporis & virium labefactatio, quâ voluptas, si vehemens & crebra sit, vigorem consumit, unde plus nocumenti putatur inferre, quàm dolor.* V. Aristot: 3. Eth. Nicom: c. 12. Senecam. l. 1. epist, 95. *Et scriptura dolorem com-*

lorem commendat præ risu, quòd per tristitiam corrigatur animus delinquentis. Eccles. 7. v. 3. 4. *Imò insaniam interdum conciliare scribitur. Hinc vino & ebrietati furorem tribuit scriptura.* Hos. 4. v. 11. c. 7. v. 5. *Poëtæ cupidinem finxerunt cæcum: Et vinum juxta Hieronymi paranomasian venenum est, quod mentem evertat. Cerebrum enim exsiccatur, spiritus perturbantur. Veteres sirenes, in amœnissimo porto pinxerunt, sed juxta eas ex gramine apparentia undiq; ossa mortuorum. Indicantes, voluptates etsi suaves sint, comites tamen trahere ruinam & perniciem, ac ipsam deniq; mortem.* Camerar. C. 1. c. 19. *Plancus Plotinus in proscriptione odore unguentorum proditus est. Id: c. 20. Valer. M. l. 6. c. 8. Idem Muleassi Tunetorum Regi contigit.* Camer: C. 2. c. 30. Cleomenes *spartanorum Rex ex longâ cum Scythis helluatione ita ferus redditus, ut proprios artus sibi detruncari jusserit. Rursus moderata voluptas suaviter reficit vires corporis & conservat illud: Balnea, Vina, Venus conservant corpora nostra.* Gratarolus l. 2 d mem: *multum memoriæ conducere ait, cantu vel suavi oratione percepta sæpè recensere. Esse enim voluptatem rerum condimentum, amoris escam, ingenij incitamentum, voluptatis pabulum & robur memoriæ.*

21. *Ita* absolutè *voluptas explicata:* Respectivè *cum cognatis & oppositis spectetur.* Cognata *voluptatis sunt omnes res lætæ & gratæ, quæ gaudium ac lætitiam conciliare possint. Vt, comœdiæ, musica, choreæ, convivia, nuptiæ, tripudia, jubila, historiæ, narrationes, & fabellæ suaviter afficientes, ludi, exercitia hilaritatis, amores, delitiæ, festa, solennitates. Ex substantijs homines voluptatibus demersi, de quibus* th. 19. *festivi, hilares, ludibundi: bruta item quæ in delitijs habere solemus, ut catelli melitæi, simiæ, cercopithecι, pavones & similia.* Opposita *ejus sunt* vel *privativa* vel *contraria.* Privativa *sunt status indifferentes, nec doloribus infe-*

stati, nec

ſtati, nec voluptatibus diffluentes, ut hominum temperantium & virtuoſorum: Somnus item & ſenſus ligatio, ut in apoplexiâ, caro, & ſimilibus affectibus. Contraria *ſunt* vel *propria* vel *analogica.* Proprium *contrarium voluptatis eſt dolor, de quo* d. 5. Analogicum partim *ſenectus, quæ voluptatum plerumq; contemptrix.* V. Ciceron. d. ſenect. §. 39. *Hinc Barſillari negat delectari ſe poſſe cibo aut potu, aut voce cantorum & cantatricum, quòd octogenarius eſſet.* 2. Reg 19. v. 35. partim *homines ſeveri & rigidi, qui rigido vivendi genere voluptatibus bellum indixerunt & auſteræ vitæ ſe mancipârunt, ut* Qu: Cincinnatus & *Abdolonymus.* V. Camer: C. 2. c. 33. *Veteres Macedones.* Curt: l. 3. c. 2. *Veteres Romani, de quibus* Seneca ep: 90. *cum frigida parvas præberet ſpelunca domos ignemq; laremq;, ut de illis* Juvenal. ſa. 6. *canit. Cato, M. Curius, & alij.* V. Valer. M: l. 4. c. 3. *Sacerdotes Aegyptiaci, Zeno, Hieronymus, Paulus Eremita, Onyphrius & alij auſteræ vitæ fuerunt.* V. Apolepht. l. 1. Erasmi. p. 635. *ſeq: Johannes Baptiſta.* Matt. 3. v. 4. Luc. 3. v. 33. Conf. Camerar C 1. c. 19. partim *qui in ipſâ voluptatum occaſione ſe continentiſſimos exhibuerunt, quorum exempla aliquot* diſp. 8. t. 27. *hujus decadis exhibebit; partim naturâ ſævi, duri & crudeles, aut vitio & improbâ aſſuetudine tales, qui omne voluptatum genus, etiam licitum, à ſe amovent. Et hæc etiam de oppoſito doloris, voluptate diſceptata ſunto.*

Additamentorum loco.

De paſſione Chriſti *paſſim hoc tempore pulpita Eccleſiaſtica reſonant, nec immeritò. Quæritur,* an volente DEo illa contigerit, *an tantùm permittente, & ad finem ſalutarem dirigente? Diſtingvendum hic inter paſſionem & mortem, ejus finem, & paſſionis formam & modum ſpecialem. Paſſionem & mortem ejusq; finem & tempus DEus voluit. Sic*

luit. *Sic enim prædixerant Prophetæ, Christum moriturum*, Esai: 53. v. 8. Luc. 24. v. 26. 44. 46. Zach: 13. v. 7. 1. Pet: 1. v. 11. *Et definito consilio DEi traditus dicitur.* Act: 2. v. 23. *Manus Dei & consilium decrevit hoc fieri.* c. 4. v. 28. *Sic tempus DEus destinavit, quo pati Christus debeat, cum aliàs ante illud sæpè voluerint Judæi Christum occidere, nec potuerint.* Joh: 7. v. 30. Luc: 22. v. 53. *Sic ut nos morte Christi redimeremur, etiam Deus voluit.* Esai: 53. v. 4. 5. Rom: 5. v. 10. 1. Cor: 15. v. 3. 2. Cor. 5. v. 21. *& ut ipse per passionem consummaretur ad gloriam.* Luc: 24. v. 26. Act: 2. v. 36. Heb: 2. v. 9. 10. c. 12. v. 2. Phil: 2. v. 9. *Sed* talem passionis modum & formam, *qualis ab Judæis inflicta, DEus non voluit, ut tàm crudeli sævoq; modo innocentem tractarent Judæi. Sic enim per manus iniquorum interemptus est.* Act: 2. v. 23. *& in manus peccatorum traditus.* Matth: 26. v. 45. *Sic Diabolus in cor Judæ misisse dicitur, ut traderet eum.* Joh: 13. v. 2. Luc: 23. v. 3. *eoq; væ ipsi inclamatur*, Matt: 26. v. 24. *Sic potestas tenebrarum vocatur.* Luc: 22. v. 53. *Et diversi fines DEi & hominum fuerunt. Sic Judas intendebat avaritiam suam implere, tradendo Christum.* Luc: 22. v. 4. Joh: 12. v. 6. *Pharisæi crudelitatem suam satiare*, Matt. 21. v. 45. 46. Luc: 20. v. 19. *& famam terrasq; conservare*, Joh. 11. v. 48. *Pilatus invidiam Cæsaris & Judæorum declinare.* Luc. 23. v. 24. Joh. 19. v. 12. 13. *DEus humanum genus redimere intendit.* Joh. 11. v. 52. *Ita ex diversis finibus diversi actionum modi sunt æstimandi. Sic fratres Josephi propriâ malitiâ vendebant Josephum, ut amoverent eum â conspectu suo & parentum*, Gen. 37. v. 27. *quia odiosus ipsis erat.* v. 4. 8. *sed Deus ad conservationem ipsorum hoc factum dirigebat, & longè aliud intendebat* Gen. 45. v. 5. 7. 8. c. 50. v. 20. *Simile de passione Christi habendum. Et notanter dicitur* Act. 2. v. 23. *Herodem & Pilatum fecisse, quæ Deus decreverat fieri: non ut ipsi*

ipsi facerent. Tò fieri ad finem & eventum rei pertinet, n modos faciendi. Hinc rectè pij Veteres: Actio displicuit, passio grata fuit. Potuisset Deus alijs medijs Christum in mortem dare, etiam cruentam, quando sine sangvinis fusione nulla redemptio. Hebr: 9. v. 22. etiamsi manus tot scelestorum n supervenissent.

Voluntas divina & humanitatis Christi nullâ ratione repugnârunt in passione, etsi passionem deprecatus fuerit Christus, Matt: 26. v. 39. Non enim absolutè deprecatus est, ut in totum sibi contrarium quid, sed cum conditione, si ter velit. Et hujus ratione totum se Christus patris voluntati submittit. Diversitas hic quædam est, non contrarietas. Refugit Christus mortem voluntate per modum naturæ mpliciter spectatâ, quomodo omne vivum corruptionem sui turaliter horret, si benè habet, quam velleitatem appellat onaventura distinctionis gratiâ: Appetivit voluntate per odum rationis & cum deliberatione spectatâ, quam absolum voluntatem Idem appellat. Fugit mortem, materialiter ex parte, ut cum irato judicio & sævo passionis actu conjuna futura erat: Appetivit ex toto, ut cum salubri fine & uctu, redemptione totius orbis, conjuncta erat. In primo oendit Christus se verum hominem, qui per omnia tentatus t, ut nos. Hebr. 4. v. 15. In secundo se sanctum hominem robavit, qui in omnibus voluntati divinæ se conformaret. sal. 40. v. 9. Joh. 6. v. 38. Hebr. 10. v. 7. Inter illa proriè est contrarietas, quæ circa idem secundum idem & eanem rationem sumptum inter se contrariantur. Non ita in oluntate DEi & Christi hominis.

Passio Christi est æterna ratione decreti divini & efficaciæ, quæ æterna est, & per omne tempus mundi diffua. 1. Pet. 1. v. 20. Hebr. 9. v. 12. c. 10. v. 12. 14. Et ab origine mundi cœpit. Act. 13. v. 8. ratione prædicationis. Gen.

A 4 3. v. 15.

3. v. 15. *typicæ in sacrificiis V. T. oblationis.* Hebr. 9. v. 23. c. 10. v. 11. 12. *& meriti Christi salutaris applicationis à fidelibus in V. T. peractæ.* Hebr. 11. v. 4. *Temporaria est ratione ipsius actus & effectionis, quæ semel peracta.* Rom. 6. v. 10. Hebr. 9. v. 26. 28. c. 10. v. 10.

Etsi dictum Gen. 3. v. 15. *non legatur expressè de Christo ejusq; passione in N. T. explicatum, sæpius tamen ad id Apostolos intendisse palàm est. Vt cum Christum destruere opera Diaboli dicunt,* 1. Joh. 3. v. 8. *cum Diabolum serpentem vocant.* 2. Cor. 11. v. 3. Apoc. 12. v. 9. c. 20. v. 2. *cum de semine Abrahæ, in quo benedicendæ gentes erant, loqvũtur* Act. 3. v. 25. 26. Gal. 3. v. 16. *Sic dictum* Esai. 2. v. 2. *non legitur* ῥητῶς *ad Ecclesiam accommodatum;* διάνοια *tamen ad est. Et in ipso sensu dicti* Gen. 3. *involvi opus Meßiæ pate & ex opere ipso attributo, contritione capitis serpentini, quæ Christi est.* 1. Cor. 15. v. 54. seq. Hebr. 2. v. 14. *& ex opposità comminatione, morte morieris, quæ inter reliqva &* mortem æternam *compræhendit, quam consolatione illa Gen: 3. propositâ tolli oportuit.*

Potuit Christus voluntate suâ tristari de morte instante, quatenus erat malum naturæ, & eadem gaudere de illâ, quatenus utilis ad multorum salutem erat, citra contrarietatem: Non enim voluntas circa idem objectum eodem modo spectatum *se habebat. Nec ex gaudio beatifico, in quo Christus semper fuit, sequitur, non potuisse ipsum tristari de passione. Nam gaudium illud versatur circa solum DEum, non circa alia, quæ ex illo prævideri possunt. Non ergò impedit, quo minùs de aliis tristari poßimus. Sic tristabatur de excidio Hierusalem.* Luc. 19. v. 41. *morte Lazari.* Joh. 11. v. 33. 35. *salvâ beatificâ visione.*